

CONTROVERSA PRIMA. XXIII

rent communia, ut forent indubie, certum est: ea ipsa, naturæ nostræ conditiones naturales esse, & Deum authorem habere. Non sunt ergo, quæ idem ipse, odio in nobis profectus, qui nihil odisse potest eorum, quæ fecit omnium.

Hoc tamen verum est, quod nos careamus supernaturalibus illis, & gratuitis donis, quibus Deus Adam uestiuerat, & quibus naturam eius exornauerat, culpa ac demerito peccati eiusdem, uelut nostræ originis. Si enim non peccasset ille, uniuersa eadem accepissemus, & nos: & eorum beneficio liberi essemus, ab hijs nostræ naturæ miserijs. Proinde, inter illum quem cogitatione non impossibili finximus, & nos, hoc interesset, quod ille, nullius culpa, sed solius naturæ conditione, eiusdem per omnia nobiscum calamitatibus foret obnoxius: nos, originis culpa, propriæ naturæ conditionibus, & miserijs derelicti sumus, ut qui in origine, multa, & præclarissima supra naturam dona assequuti fuimus, quæ uniuersa, in eodem, & eiusdem peccato perdidimus.

Blasphema est ergo aduersariorum in Deum creatorem uox ista. Quod tota recens naturæ natura, quoddam peccati semen sit, & ideo non odiosam, & abominabilem Deo esse non posse. Nam tota eorum natura, quanta, quanta est, a Deo est, qui solus, secundum corpus, & animam, eius author est.

*Cōclusio de aduersariorum sententia.*

*Argumentorū eorundem solutio.*

Nec quicquam faciunt, dum opus Dei, in integra illa adhuc, incorruptaq; Adæ, non in nostra natura contemplari nos iubent. Nam ego uicissim utrobique illos DEI opificium contemplari iubebo. In Adam, præter naturam, etiam originale dictam iustitiam, & cætera pleraq; supernaturalia, & eximia Dei dona nobiscum inuenient.

*Deum non solius Adæ, sed etiam nostræ, quam nascendo accepimus naturæ, authorem esse.*